Fragmentarium

150

121

peccatis elemosinam pauperi claudo dicebat. Argen-
tum et aurum non est mihi. Pro fructu ergo uine-
ae mille argenteos affert. quia quisquis uir ita
in fide quam suscepit se habet. libenti mente
perfecte omnia terrena contemnit. ut xpm
ueraciter habeat. Millenarius enim perfectus nu-
merus est. ideo per eum perfectio rei cuiuslibet de-
monstratur. Hos argenteos in primitiua ecclesia
illi afferebant. de quibus in actibus apostolorum scriptum
est. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum
erant uendebant. et afferentes ponebant ad pedes
apostolorum precia eorum que uendebant. Isti congre-
gati aliam uineam uidelicet sanctam ecclesiam ex se ip-
sis construxerunt. et ut boni agricole sanguine
suo propagauerunt. et predicationibus usque ad fi-
nes terre dilatauerunt. ut iam mundum pene uniuer-
sum impleat. et fructum gratum locatori agricolis suis
temporibus reddat. Unde in euangelio dicitur. Ma-
los male perdet. et uineam suam locabit aliis agrico-
lis qui reddant ei fructum temporibus suis. De
qua uinea iam bonis locata ipse pacificus dicit.
V Vinea mea coram me est. Coram ipso uinea sua
extitit. quia perditis malis agricolis. sanctam
ecclesiam bonis doctoribus benigno respectu osten-
dit. Cui dicit. Mille tui pacifici. et ducenti
his qui custodiunt fructus eius. Qui ut sunt
isti pacifici qui mille dicuntur esse. et ducenti.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_257_f121r – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5263)